



Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

3. Vtrum per modum sacrificij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

primum, dubium occurrit circa ratione redditam, quare potest unus pro alio satisfacere, & non contra aut confiteri. At signatur siquidem in licita ratio, quia satisfactio est actus exterior. Contra quam in prompta est obiectio, quod confessio quoque est actus exterior, & propterea si ratio est ualida, infertur etiam quod unum potest confiteri pro alio, & quia hoc non est uerum, sequitur quod ratio nihil ualeat.

Ad dubium hoc dicitur, quod equiuocatio hic accidit de actu exteriori. Nam actus exterior dupliciter dicitur, uel ut distinguitur absolute contra interiorum. Et secundum hunc sensum procedit obiectio; sic enim confessio est actus exterior: Alio modo sumitur actus exterior secundum medium, & sic distinguitur contra actum secundum medium interiorum; hoc est rationis tantum. Ve enim in moralibus patitur, dupliciter inuenitur medium in actibus nostris, uel medium rationis tantum, uel medium rei. Et medium rei exterior dicitur, quia in aequalitate rei ad rem consistit, medium autem rationis interioris quodammodo dicitur, quia in proportione intrinseca rationis in ordine ad operantem consistit. Quia autem satisfactio in aequalitate rei ad rem consistit, (oportet enim ipsam adaequare debitum, ut patet) ideo dicitur hic, quod consistit in actu exteriori secundum medium, & in hoc differt confessio a satisfactione in proposito. Et hinc provenit, ut Auctor dicit, quod satisfacere potest quis per alium, quoniam ad aequale externum soluedum adhiberi possunt externa instrumenta, inter quae sunt amici non minus, quam pecunie. Satisfactio autem externa sonat adaequationem; est enim face-

tebit. Non autem est similis ratio de confessione & contritione: quia satisfactio consistit in actu exteriori, ad quem assumi possunt instrumenta, inter quae computatur etiam amici.

AD SECUNDVM dicendum, quod maior fuit charitas Christi patientis, quam malitia crucifixigentium. & ideo plus potuit Christus satisfacere sua passione, quam crucifixoress offendere occidendo, in tantum quod passio Christi sufficiens fuit, & superabundans ad satisfaciendum pro peccatis occidentium ipsorum.

AD TERTIVM dicendum, quod dignitas carnis Christi non est estimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum personam assumentem, in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam.

ARTICVLVS III.

Utrum passio Christi operata sit per modum sacrificii.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod passio Christi non sit operata per modum sacrificii. Veritas enim debet respondere figurae: sed in sacrificiis ueteris legis, quae erant figurae Christi, nunquam offerebatur caro humana, quinimo haec sacrificia nefanda habebantur, secundum illud Psalm. centesimiquinti. Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt scilicet pro filiis Chanaan. ergo uidetur quod passio Christi sacrificium dici non possit.

¶ 2 Praterea. Augustinus * dicit in decimo de Ciuitate Dei, quod sacrificium uisibile, inuisibile sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est: sed passio Christi non est signum, sed magis signatum per alia signa: ergo uidetur quod passio Christi non sit sacrificium.

¶ 3 Preterea. Quicumque offert sacrificium, aliquod sacrum facit, ut ipsum nomen sacrificii demonstrat: illi autem qui Christum occiderunt, non fecerunt aliquod sacrum, sed magnam malitiam perpetraverunt. ergo passio Christi magis fuit maleficium, quam sacrificium.

SED CONTRA est, quod Apostolus dicit Ephe. quinto. Tradidit semetipsum pro nobis, obla-

tionem & hostiam Deo: in odorem suauitatis.

RESPON. Dicendum, quod sacrificium proprie dicitur aliquid factum in honorem proprie Deo debitum, ad eum placandum. Et inde est quod Augustinus * dicit in 10. de Ciuitate Dei, Verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut charitate in heremus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo ueraciter boni esse possumus. Christus autem (ut ibidem subditur) seipsum obtulit in passione pro nobis, & hoc ipsum opus, quod uoluntate passionem sustinuit, Deo maxime acceptum fuit, ut pote ex charitate proveniens. unde manifestum est, quod passio Christi fuerit uerum sacrificium. Et sicut ipse postea subdit in eodem libro, Huius ueri sacrificii multiplicia, uariaque signa erant sacrificia praesentia sanctorum, cum hoc uerum per multa figuraretur, tanquam uerbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commedaretur. Et cum quatuor considerentur in omni sacrificio (ut Augustinus dicit in 4. de Trinita.) scilicet cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse unus uerusque mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret, cui offerebatur, unum in se faceret, pro quibus offerebatur, unus ipse esset qui offerebatur, & quod offerebatur.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod licet ueritas respondeat figuram, quantum ad aliquid, non tamen quantum ad omnia: quia oportet quod ueritas figuram excedat, & ideo conuenienter figura huius sacrificii, quo caro Christi offertur pro nobis, fuit caro non hominum, sed aliorum animalium significantium carnem Christi, quae est perfectissimum sacrificium. Primum quidem quia ex eo quod est humanae naturae caro, congrue pro hominibus offertur, & ab eis sumitur sub sacramento. Secundo, quia ex eo quod erat passibilis & mortalis, apta erat immolationi. Tertio, quia per hoc quod erat sine peccato, efficax erat ad emundanda peccata. Quarto, quia ex eo quod erat caro ipsius offerentis, erat Deo accepta propter charitatem, suam carnem offerentis. unde Augustinus * dicit in 3. de Trin. Quid tam congruenter ab hominibus sumeretur, quod pro eis offerretur, quam humana caro? & quid tam aptum huic immolationi, quam caro mortalis & quid tam mundum pro mundan-

re factis, id est sufficiens.

¶ Super quaest. quae de sacrificio tractantur articulus tertius.

Titulus clarus. In corpore tria. Primo respondetur quaestioni uel conclusioni: Passio Christi fuit uerum sacrificium. Probatur: Omne opus quod agitur ut charitate in heremus Deo, relatum ad ipsum Deum, est uerum sacrificium: sed Christus sustinuit uoluntate passionem, egit opus acceptissimum, & ergo maior secundum & auctoritate Augustini, & quia id proprie dicitur sacrificium, quod fit in honorem Deo proprie debetur ad eum placandum. Secundo, monstratur excellentia huius sacrificii, ex eo quod figuratum est per aliqua sacrificia. Tertio, monstratur summa huius sacrificii excellentia, ex concursu omnium quatuor requisitorum ad sacrificium in unum quia. scilicet Christus est qui offertur, & est Deus, cui offertur, & est qui offertur, & est pro quo, hoc est pro cuius corpore mystico offertur.

In responsione ad tertium, ad eod quod iuxta diuersam sacrificii naturam, diuersimode inuenitur face sacrum. In sacrificiis, non consistentibus in agere, inuenitur sacrum ad extra ut patet in sacrificiis animalium & altaris. Sed in sacrificiis, quae consistunt in pati, inuenitur sacrum ad actionem interiorum, quae sponte offertur Deo sicut pati. Et sic Christus fecit sacrum actione interiori: occisores autem eius fecerunt actione exteriori non sacrum, sed sacrilegium maximum.

¶ Super

Inf. q. 49. ar. 4. cor. & q. 73. ar. 4. cor. & ad 3. & 81. ar. 1. cor. & op. 60. ca. 18.

Lib. 10. c. 5. paulo a principio. 5.

Inf. q. 4. ar. 2. cor. & q. 80. ca. 1.

Inf. q. 4. ar. 2. cor. & q. 80. ca. 1.

446. 2. 3. ar. 1.

dis uitijis mortalium, quam sine contagione carnalis concupiscentiae caro nata in utero, & ex utero Virginali, & quid tam grate offerri & suscipi possit quam caro sacrificii nostri, corpus effectum sacerdotis nostri?

AD SECUNDUM dicendum, qd Augu. * ibi loquitur de sacrificiis visibilibus figurabilibus. Et est ipsa passio Christi licet sit aliquid signatum per alia sacrificia figuralia, est tamen signum alicuius rei obseruanda nobis: secundum illud prima Pet. 4. Christo igitur passio in carne, & uos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desinit peccatis, ut iam non hominum desideris, sed uoluntate Dei, quod reliquum est, in carne uiuat temporis.

AD TERTIUM dicendum, quod passio Christi ex parte occidentium, ipsum, fuit maleficium: sed ex parte ipsius ex charitate patientis, fuit sacrificium, unde hoc sacrificium ipse Christus obtulisse dicitur, non autem illi, qui eum occiderunt.

ARTICVLVS IIII.

Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum redemptionis.

AD QVARTUM sic procedit.

Videtur, quod passio Christi non sit operata nostram salutem per modum redemptionis. Nullus enim emit uel redimit, quod suum esse non desit: sed homines numquam desiderunt esse Dei, secundum illud Psalm. 23. Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum, & uniuersi qui habitant in eo. ergo uidetur, quod Christus non redemerit nos sua passione.

¶ 2 Præ. Sicut Aug. * dicit 13. de Trin. Diabolus a Christo iustitia superandus fuit: sed hoc exigit iustitia, ut ille qui inuasit dolose re alienam, debeat priuari: quia fraudolus nemini debet patrocinari, ut etiam iura humana dicunt. Cum ergo diabolus creaturam Dei, scilicet hominem, dolose deceptor, & sibi subiugauerit, uidetur quod non debuerit homo per modum redemptionis ab eius eripi potestate.

¶ 3 Præ. Quicumque emit aut redimit aliquid, pretium soluit ei qui possidebat, sed Christus non soluit sanguinem suum (qui dicitur esse pretium redemptionis nostre) diabolo, qui nos captiuos tenebat. non ergo Christus sua passione nos redemit.

SED CONTRA est, quod dicitur 1. Pet. 1. Non corrumpilibus auro, uel argento redempti estis de uana uestra conuersatione paterna traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati, & incontaminati Christi. Et Gal 3. dicitur, Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Dicitur autem pro nobis factus maledictum, in quantum pro nobis passus est in ligno, ut supra dictum est. * ergo per passionem suam nos redemit.

RESPON. Dicendum, quod per peccatum dupliciter homo obligatus erat. Primo quidem, seruitute peccati, quia, Qui facit peccatum, seruus est peccati: ut dicitur Io. 8. & 2. Pe. 2. A quo quis superatus est, huius & seruus est. quia igitur diabolus hominem tupe rauerat, inducendo eum ad peccatum, homo seruituti diaboli addictus erat. Secundo, quantum ad reatum poenae, quo homo erat obligatus, secundum Dei iustitiam: & hic etiam est seruitus quaedam: ad seruitutem enim pertinet, quod aliquis patiat quod non uult: cum liberi homines sit uti seipso, ut uult. quia igitur passio Christi fuit sufficiens & superabundans satisfactio pro peccato, & reatu poenae generis humani, eius passio fuit quasi quoddam pretium, per quod liberati sumus ab utraque obligatione. Nam ipsa satisfactio, qua quis satisfacit, siue pro se, siue pro alio, pretium quoddam dicitur, quo seipsum uel alium redimit a peccato & a poena, sicut illud Dan. 4. Peccata tua elemosynis redime: Christus autem satisfecit non quidem pecuniam dando, aut aliquid homini, sed dando id quod fuit maximum, seipsum. s. pro nobis. & ideo passio Christi dicitur esse nostra redemptio.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod homo dicitur esse Dei, dupliciter. Vno modo, in quantum subicitur potestati eius, & hoc modo numquam homo desit esse Dei: sicut illud Dan. 4. Dominatur excelsus in regno hominum, & cuiusque uoluerit, dabit illud. Alio modo, per unionem charitatis ad eum, secundum quod dicitur Rom. 8. Si quis spiritu Christi non habet, hic non est eius. Primo ergo modo nunquam homo desit esse Dei. secundo uero modo, desit esse Dei pro peccato. & ideo in quantum fuit a peccato liberatus Christo passio satisfaciente, dicitur per passionem Christi esse redemptus.

AD SECUNDUM dicendum, quod homo peccando obligatus erat & Deo & diabolo: quantum. n. ad culpam Deum offenderat, & diabolo se subdiderat, ei consentiens. unde ratione culpae non erat factus seruus Dei sed potius a Dei uirtute recedens, diaboli seruitutem incurrerat, Deo iuste hoc permittente, propter offensam in se commissam: sed quantum ad poenam, principaliter homo erat Deo obligatus, sicut summo iudici, diabolo autem tamquam tortori, sicut illud Mat. 5. Ne forte tradat te aduersarius tuus iudici, & iudex tradat te ministro, id est angelo poenarum crudeli, ut Chryso. * dicit. Quamuis igitur diabolus iniuste, quantum in ipso erat, hominem sua fraude deceptum, sub seruitute teneret, & quantum ad culpam, & quantum ad poenam; iustum tamen erat hoc hominem pati. Deo permittente quantum ad culpam, & ordinante quantum ad poenam: & ideo per respectum ad Deum, iustitia exagebat, quod homo redimeretur, non autem per respectum ad diabolum.

AD TERTIUM dicendum, quod quia redemptio requirebatur ad hominis liberationem pro respectu ad Deum, non autem per respectum ad diabolum, non erat pretium soluendum diabolo, sed Deo: & ideo Christus sanguinem suum (qui est pretium nostrae redemptionis) non dicitur obtulisse diabolo, sed Deo.

ARTICVLVS V.

Utrum esse redemptorem, sit proprium Christi.

AD QVINTUM sic proceditur. Videtur, quod esse redemptorem, non sit proprium Christi. Dicitur enim in Psalm. 30.

¶ Super quæst. quadragesimae, articulus quintus.

¶ Titulus ut sonat, sumendus est, ita quod Christus sumitur, ut distinguitur a Patre, & Spiritu

Hom. 11. in Mat. in opere imperfecto longe a hinc tom. 2.

3. dist. 19. art. 4. q. 2.

¶ Super quæst. quadragesimae, articulus quartus.

¶ Titulus clarus. In corpore duo sunt. Primo manifestatur status terribilis generis humani quo ad culpam. s. & poenam. Secundo respondetur quæstio una conclusionem, s. passio Christi est nostra redemptio. Primum declaratur quo ad peccatum & diaboli fugiorem auctoritatibus, quo ad poenam uero ratione clara in littera. Conclusio probatur: Passio Christi fuit sufficiens & superabundans satisfactio pro peccatis, & pro reatu generis humani. ergo fuit quasi pretium, quo liberati sumus ab utraque seruitute. ergo fuit nostra redemptio. Prima consequentia probatur: quia satisfactio habet rationem pretii redemptiui. Probatur auctoritate Dan. 4. Secunda consequentia clara est ex le. Et amplius declaratur, quia pretium oblatum a Christo, fuit non pecunia, sed ipsemet patiens.

¶ 2 Præ. Sicut Aug. * dicit 13. de Trin. Diabolus a Christo iustitia superandus fuit: sed hoc exigit iustitia, ut ille qui inuasit dolose re alienam, debeat priuari: quia fraudolus nemini debet patrocinari, ut etiam iura humana dicunt.

¶ 3 Præ. Quicumque emit aut redimit aliquid, pretium soluit ei qui possidebat, sed Christus non soluit sanguinem suum (qui dicitur esse pretium redemptionis nostre) diabolo, qui nos captiuos tenebat. non ergo Christus sua passione nos redemit.

SED CONTRA est, quod dicitur 1. Pet. 1. Non corrumpilibus auro, uel argento redempti estis de uana uestra conuersatione paterna traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati, & incontaminati Christi. Et Gal 3. dicitur, Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Dicitur autem pro nobis factus maledictum, in quantum pro nobis passus est in ligno, ut supra dictum est. * ergo per passionem suam nos redemit.